

ra hæc collectio nihil aliud quam falsarum decretalium, quæ de accusationibus et appellationibus agunt (1), compendium fuit, nova utique eaque falsa inscriptione auctum (2), et temporis spatium, quod inter annum 845 ad 870 intercessit, confectum (3). Dividitur in diversis, quæ exstant, editionibus mox in LXXII, mox in LXXX capita aut sententias (4).

Alia collectio a Remigio aut Remedio Curie Episcopo, jubente Carolo Magno pro Allemannorum Ecclesie ex pontificum decretis confecta dicitur. At inscriptioni sub qua quoddam istius collectionis fragmentum prodiit nulla habenda est fides (5), omnesque quos amplectitur canones, ex falsis decretalibus Pontificum, a Clemente ad Urbanum I usque viventium, excerpti sunt.

XXIX. In meliorem quidem ordinem Juris canonici materia per illas quas descripsimus collectiones digesta est; at pauca illis temporibus in hanc rem editæ fuerunt lucubrationes, quibus varia Juris instituta scientiæ ope illustrarentur atque explicarentur. Theodorus Prodromus versus finem octavi sæculi in Oriente brevem conscripsit in canones commentarium qui nondum typis editus est (6). In Occidente verò Egbertus, Archiepiscopus eboracensis (a. 771), dialogum de Ecclesie institutionibus quibusdam (7), et Rabanus Maurus (a. 856) de ecclesiastica disciplina et de matrimoniis inter consanguineos libros ediderunt (8).

XXX. Majoris sanè momenti fuerunt libri, qui hoc tempore de ritibus ac nego-

(1) Hanc collectionem non antè, sed postquam falsæ decretales appuere, confectam, nec aliud quàm ipsarum esse compendium, clarè patet, si tantummodò cum ipsis comparetur. Ballerini insuper tam accuratè de hac re disseruerunt, ut præter Camusium nullus ferè sit qui dubitet eamque fontem putet, ex quo falsæ decretales desumptæ sint.

(2) Inscriptionem siquidem veram putant Camusius et Theinerus; at præter illas rationes, quas de ipsius falsitate attulerunt David, Ballerini et Spittlerus, quæque nullo adhuc modo confutatae sunt, illud porrò omninò litem dirimit, quod in collectione loci reperiantur, qui ad verbum ex Breviario et ex lege Wisigothorum excerpti sunt. Nam, si Romæ confecta fuisset, Justiniani collectiones adhibitæ fuissent; et licet hi loci ex falsis decretalibus in Angelramni capitula migrassent, in decretales tamen ex Wisigothorum Juris collectionibus, quæ in Francorum regno passim in usu erant, derivati sunt; quo et illud contra Theinerum conficitur, quod neque decretales Romæ confictæ sint.

(3) Cum falsa demonstrata sint ea quæ de collectionis origine et ætate ex inscriptione eruuntur, ad falsarum decretalium, ex quibus eam excerptam fuisse constat, ætatem attendi debet, ut tempus determinari possit, quo collectio confecta est; Theinerus e contra, cum inscriptionem veram putet, ex ipsa collectionis ætate desumit.

(4) Sæpiùs typis edita est (e. g. apud Mansi. conc., t. XII, col. 902-936), una cum notis Ant. Augustini, quæ, licet optimæ, tamen non in omnibus admittendæ sunt, eo quod falsarum decretalium confictio tunc nondum omninò agnita fuerit.

(5) Edidit hanc collectionem primus M. Goldastius rer. Alleman. scriptor, t. II, p. 121-133; et deinde Harzheimius in conc., t. II, p. 414-426; Ballerini et Spittlerus eadem de hac inscriptione sentiunt. Carolus certè hadrianam, non verò falsarum decretalium collectionem, etiam si tunc temporis exstisset, ad hoc compendium adhiberi curasset. Goldastius ipse, Pseudo-Isidorum imitatus, inscriptionibus ac præfationibus pluribus chronistarum monumentis additis aliisque arbitrariis compilationibus suam collectionem auxit. Cæterum nec eodidem describit, undè ipsam desumpsit, nec affert ubinam existat. Hæc tamen collectio primam partem illius continuisse videtur, quam inferius (§ XXXVI, n. 10) citabimus.

(6) Habentur quædam de hoc Theodori opere in Nicol. Comneni Prænotationibus mystagogicis ex Jure canonico (Patav. 1696, fol.), p. 409, atque in Fabric., Biblioth. græc., t. XI, p. 45, 46.

(7) Editus est in Wilkins conc., t. I, p. 82-86, et in Mansi conc., t. XII, col. 492-498.

(8) Habentur in Rabani Mauri oper. ed. Ge. Calvenerii; Colon. 1627, VI vol. fol.

tiorum formulis conscripti sunt. Ritus et ceremoniæ, quas Ecclesia in sacris suis functionibus adhibet initio viva voce ac traditione propagatæ, seriùs accuratissimè descriptæ sunt et earum significatio a pluribus dilucidè exposita est. Inter hosce rituales libros ii præsertim eminent, quibus usa est Ecclesia Romana. Vetustissimus ac copiosissimus est ordo illi romanus, qui Gregorii Magni (a. 604) tempore conscriptus fertur. Præter ceremonias, in divinis officiis celebrandis adhiberi solitas, alias quoque complectitur, quæ illis temporibus sive in sacris Episcoporum ipsiusque Romani Pontificis ordinationibus, sive in ecclesiarum dedicationibus, sive in imperatoris et regum benedictionibus, necnon in aperiendis conciliis, cum æcumenicis, tum provincialibus servabantur (1).

Ad determinandum modum quo negotia varia scriptis tractari deberent, formularia conficiebantur, quæ in Francorum regno in pluribus libris collectæ sunt. Antiquissima hujusmodi collectio ea est quam Marculfus monachus circa annum 660 adornavit; aliæ a Sirmondo, Bignonio, Lindebrogio, Balluzio et Pelletiero editæ sunt (2). Continent formulas, quibus donationes monasteriis, aut ecclesiis factæ scripto consignatæ sunt; dein formulas quoque scribendi litteras commendatitias pro clericis aliaque instrumentis, quæ in Episcoporum nominatione ac confirmatione in usu erant (3). Ejusmodi formularum collectio pro Romana Ecclesia est *Liber diurnus*, qui verosimiliter paulò post annum 714 conscriptus est (4). Præter formulas scribendi, quibus sexto, septimo, octavo atque etiam nono sæculo Romani Pontifices in litteris ad imperatorem, imperatricem, patritium, exarchum, consules, reges ac patriarchas uti solebant, continentur etiam ordinationes Summi Pontificis et Episcopi suburbicarii cum omnibus suis adjunctis, concessio pallii, Romanæ Ecclesie patrimonii administratio ac alienatio privilegia, præcepta, concessionis aliaque generis ejusdem.

(1) Joannes Mabillonius, in Musæo italico, t. II, hunc librum octavo sæculo antiquiorem, atque ad ætatem Gelasii pontificis referendum arbitratur; et illud præterea animadvertit plures olim fuisse ordinis romani libros, atque in singulis peculiare fuisse argumentum comprehensum, uti erat Liber de Missa pontificali, Liber de Baptismo, Liber de ordinibus sacris, etc., etc. Illum de quo hic sermo est, ordinem romanum primus typis edidit Coloniae (a. 1561) Georgibus Cassander, quem deindè secutus est Melchior Hiltorpius, qui illum aliis adjunctis auctoribus, qui de eadem materia disserunt, edidit sub titulo: De divinis catholicæ Ecclesie Officiis ac Ministeriis, Colon. 1568, fol. Eadem collectio variis aliis monumentis aucta denuò edita est a Georgio Ferrari, Romæ 1591, et Parisiis, 1610.

(2) Habentur formularia ista apud Cancianum in suis Leg. Barbarorum.

(3) Taliū instrumentorum collectio, quæ tum ex Hincmari rhemensis operibus, tum ex archivis aliisque fontibus desumpta sunt, habetur apud Sirmond., Conc. Gallia tom. II, p. 638, et Balluz. Capit. Reg. Franc., t. II, p. 393.

(4) Est hæc Garnerii de ætate, qua hic liber compositus videtur, sententia. Verum Fr. Ant. Zaccaria in dissert. 2, t. II, part. 2; Biblioth. ritual, pag. 230, seq. edit. Rom. 1776, codicem illum, quo Garnerius usus est, exaratum fuisse putat Gregorio IV Pontifice, hoc est, nono sæculo; codicem verò, quem edidit Holstenius, aut Garneriano vetustior, aut saltem ex antiquiore descriptum existimat. Ut ea de re sit, illud certum est Librum diurnum origine sua esse antiquissimum, cui tamen identidem pro ratione temporum multa adjecta sunt. Editus est hic liber a Garnerio S. I, Parisiis [a. 1680, 4]; dein quasdam annotationes adjecit J. Mabillon., in Musæo italico, t. I, part. II, p. 12, quibuscum illum denuò edidit Chr. God. Hoffmanus in nova Scriptorum Monumentorum Collectione [Lips. 1783, II, vol. 4], tom. I, et ultimo P. I Riegger vienn. 1762, 8. Vide quæ de hoc Libro diurno scripsit Devoti in Juris canonici universi, t. I, cap. XVIII, § 23, not. 2.

ARTICULUS III.

FONTIUM JURIS CANONICI HISTORIA IN MEDIO ÆVO USQUE AD GRATIANUM.

ARGUMENTUM.

A Ecclesie status § XXXI. B. Juris canonici indoles in Oriente. 1. Fontes eorumque collectiones § XXXII; et 2. lucubrationes scientificæ apud Græcos § XXXIII. 3. apud alias Orientis sectas, § XXXIV. 4. Juris fontes in ecclesia rhutena § XXXV. C. Juris canonici indoles in Occidente. 1. Leges novæ, § XXXVI. 2. Novæ legum ecclesiasticarum collectiones. a. ante Gratianum § XXXVII. b. Gratiani et Cardinalis Laborani collectiones, § XXXVIII. 3. Juris fontes in regnis septentrionalibus, § XXXIX.

XXXI.

Circa medium sæculum nonum religio, christiana in omnibus Germaniæ plagis altas jam fixerat radices, indeque intra centum subsequentes annos missionum et principum ope inter Bohemos, Wendos et Polonos propagata fuit. Apud Hungaros quoque, Stephani primi illorum regis (a. 997-1038) studio ac opere, Ecclesiæ res stabilitæ et auctæ sunt. In Dania, in Suecia ac Norwegia ancipiti primum fortuna christiana fides nuntiata est; undecimo verò sæculo et deinceps non solum in illis regionibus dominari cœpit, sed ex Norwegia in Islandiam quoque ac in Groelandiam allata est. Serius Pommerani (anno nempe 1126), Finni (anno 1157), nec non Slavi et Wendi, qui Balthico mari adjacebant (anno 1168); denique et Livonii (anno 1186) ad fidem conversi sunt. Eodem ferme tempore, post longa ac diuturna certamina, maxima Hispaniæ pars, quæ ab Arabibus occupata erat, ab indigenis et christianis regibus armis subacta est. Omnia hæc regna religionis causa cum sede Petri conjuncta erant, quæ dissitissimas quasque nationes in unum collegit et Romam omnium Europæ populorum caput effecit. Ex Oriente quoque christiana religio propagata est sensimque Ruthenorum gens ad fidem converti cœpit. Wladimiro, ipsorum principe, anno 988, christiano facto, Episcopos et metropolitam acceperunt, qui Kioviæ sedem fixit, patriarchæ tamen Constantinopolitano subiciebatur. Sic, sæculo XII ad finem vergente, nulla penè Europæ gens paganis ritibus addicta fuit. Interim lites, quæ græcam et latinam Ecclesiam exiderunt, quæque per aliquos tempus sopitæ erant, a Michaele Cærulario patriarcha iterum suscitatae sunt, cum, anno 1083, publico scripto Ecclesiam latinam erroris tum in doctrina, tum in usibus argueret. Nec imperatoris græci conatus, nec solida illa defensio, qua Pontificis legati injustas criminationes refutarunt, pacem restituere potuerunt; sed, exacerbatis in dies animis, Pontifex patriarcham excommunicavit, et patriarcha Pontificis nomen ex sacris dyptichis delevit ipsumque anathemate percussit. Exindè schisma latinam inter ac græcam Ecclesiam penitus inductum est.

XXXII Quod Juris fontes in Oriente attinet, Photii collectio ob iteratam ipsius sub Leone imperatore destitutionem initio quidem plenam auctoritate caruit; deindè verò, cum sæculo X, ipsius memoria coli ac celebrari cœpta est, ejus usus valdè invaluit. Cum ipsa tamen continuò Joannis Nomocanon adhibebatur, nec fixus adhuc fontium usus fuisse videtur. Leges civiles tum ex basilicis, tum ex tribus antiquioribus Juris justiniani compendiis sumebantur; mox tamen inter ju-

risconsulto opinio invaluit, eas tantum Juris justiniani partes vim habere, quæ in basilicas receptæ erant; quæ opinio sæculo XII in ecclesiasticis quoque tribunalibus recepta fuit. Cum basilicis in Ecclesia græca excerpta ex Jure civili, quæ ab imperatoribus Basilio et Leone publicabantur, in usum venire, ideòque sæpè in codicibus una cum canonum collectionibus descripta sunt. Ecclesiasticis legibus nova in dies synodorum decreta accessere, quæ patriarchæ constantinopolitani, vicinis adhibitis Episcopis, ediderunt. Imperatores etiam, præcipuè Leo philosophus, Constantinus Porphyrogeneta, Alexius Comnenus et Isaacus Angelus, novas leges de rebus ecclesiasticis tulerunt.

XXXIII. In tantam molem cum excrevissent Juris canonici fontes, qui ex parte anteriorum temporum ac penè ignotorum fetus erant, mox necessarium videri debuit, ut acutioris scientiæ ope diligentius et accuratius disponerentur atque explicarentur. Maximè accommodatæ ad tale opus suscipiendum ampliores Photii collectiones videbantur. Hinc factum est ut Joannes Zonaras, notus historiæ scriptor, circa annum 1120, primam collectionis partem, quæ concilia canonicasque litteras complectitur et Theodorus Balsamon, anno 1170, non solum hanc eandem collectionis partem, sed et aliam, nomocanonem scilicet, diffusis interpretationibus illustrarent. Zonaras verborum præsertim significationem explicavit; Balsamon verò quæstionibus practicis et canonum, quæ inter se discrepare videbantur, compositione, necnon eorum cum legibus civilibus comparatione Photii opus dilucidare studuit. In hac legum ecclesiasticarum cum civilibus comparatione, illud principii loco statuit, quod istæ hisce præferendæ, nec aliæ Juris justiniani partes pro Ecclesia valere dicendæ sint, quam eæ quæ in basilicas receptæ essent; cujus rei gratia in suis ad nomocanonem scholiis Juris justiniani textus accuratissimè cum basilicis confert et explicat.

Cæterum magna Photii collectio in hisce commentariis, non in primitiva ipsius ratione invenitur; conciliorum ordine inverso, œcumenica alia omnia præcedunt multaque de novo adjuncta sunt, inter quæ et ea quæ commemorat synodus trullana, quæque Photius neglexerat. Verosimillimum est Zonaram istas mutationes fecisse (1).

Præter canonum collectiones earum quoque *compendia* adhibita et explicata fuerunt. Hujuscemodi epitome sub nomina Stephani Ephesini jam sæculo quinto exstabat (2), cui deinceps excerpta ex illis monumentis adjuncta sunt, quæ in

(1) Joannes Quintinus primus Parisiis 1553 ex Zonaræ commentariis latinam scholiorum ad apostolorum canones versionem edidit; dein Ant. Salmatia Mediolani 1618 interpretationis canonum versionem, et Parisiis 1618 eandem versionem cum græco originali; denique commentarios quoque ad decretales typis evulgavit. Balsamonis commentarios primo Gensianus, Parisiis apud Hervetum 1561, et Henricus Agylæus Basileæ 1561, fol. in latina versione edidit. Nomocanonem cum scholiis in græca lingua simul cum Agylæi versione postea edidit Christ. Justellus, Par. 1615. Paulò post tota collectio, ex corruptis tamen codicibus, cum græcis commentariis et Herveti versione apparuit sub titulo: *Canones SS. apostolorum, conciliorum generalium et provincialium, SS. Patrum epistolæ canonicæ. Præfixus Photii nomocanon omnia cum commentariis Theodori Balsamonis. E. Bibl. Jo. Tili Lut. Par. fol. 1620.* Justelli nomocanonis et scholiarum editionem ipsius filius in bibliothecam (a. 1661) inseruit. Collectionem magnam sine nomocanone Beveregius in Synodico, optimos codices secutus, ea quidem ratione edidit, ut singulis texti locis prius Balsamonis, dein Zonaræ commentaria submitteret. In omnibus igitur istis editionibus simul etiam Photii collectiones habentur, iis tamen mutationibus et additamentis, quæ tunc invecata jam erant.

(2) Vide Biener, de collect. can. Eccl. græc., p. 32.

canonum collectiones recipiebantur. Hac ratione aucta et eodem ferè, quem Zonaras et Balsamon sequuntur, ordine digesta epitome, nomine Simeonis magistri et logothetæ inscripto, typis excusa est (1). Eamdem materiam exhibet *Synopsis* Aristeni nomine typis edita (2), mutato tantum ordine, qui magis ad eum accedit quem Photius in sua præfatione indicaverat. Hæc synopsis, aucta dein et ab Alexio Aristeno, circa annum 1160, scholiis instructa est (3), quibus plura, ex decretalibus et aliis monumentis excerpta loca adjungebantur.

XXXIV. Orientales superioribus sæculis ab Ecclesia catholica avulsi, hac præsertim temporis periodo plures canonum collectores habuerunt, qui ex antiquis collectionibus aliorumque suæ sectæ auctorum operibus, adjectis patriarcharum, quæ in dies evulgabantur constitutionibus, tum compendia, tum ampliores certo etiam ordine digestas collectiones adornarunt.

Inter nestorianos Elias I, patriarcha (a. 1028) breve composuit volumen, in quo canones quibus constitutiones et judicia ad religionem spectantia continentur, collegit (4). Abulpharagius Abdalla ben-Attibus, presbyter nestorianus, qui ineunte sæculo undecimo claruit et a. 1043 obiit, teste Abulbarkato, "edidit librum, cui "titulus: Jurisprudentia christiana; complectentem canones ecclesiasticos, et synodos occidentales æque ac orientales;" cujus quidem operis præstantissimi codex in vaticana bibliotheca asservatur (5).

Alter quoque Elias, Episcopus nisibensis (p. a. 1049) judiciorum ecclesiasticorum decisiones in quatuor libris, necnon tractatum de hæreditatibus composuit, quem tum ex patriarcharum constitutionibus, tum ex civilibus Græcorum legibus compilavit (6).

Præ cæteris verò inter nestorianos excelluit Ebed-Jesu Eliæ in sede sobensi seu nisibensi successor (mor. a. Chr. 1318), qui canonum synodicorum epitomen evulgavit, quæ in synodo a Thimotheo II, patriarcha (a. 1318) convocata, approbata et in publicum fori Ecclesiæ usum præscripta fuit. Ebed-Jesus hic sobensis opus suum in duos divisit tomos, quorum primum ea complectitur, quæ laicis universim generatimque præcepta sunt, seu ea quæ ad sponsalia, matrimonia, hæreditatum divisiones, judicia, necnon ad fidem et probitatem atque ad morum conversationisque decorem pertinent. Altero tomo canones comprehendit, singulis ordinibus aliquod officium in Ecclesia obtinentium convenientes, ubi de electione, ordinatione aliisque ejus generis disserit (7).

(1) Apud Justellum, t. II, p. 710-748.

(2) Apud Justellum II, p. 673-709. Falso Aristeno tribuitur, uti Beveregius jam probaverat: ipse enim scholia tantum composuit.

(3) Hæc synopsis invenitur in primo volumine synodici Beveregii, non tamen integra, sed ita disposita ut ad singulos canones post Balsamonis et Zonaræ commentaria loca ex synopsis ejusque scholiis habeantur.

(4) Vide de hoc Elia sobensis catalogum in Assemanii Biblioth. orient., tom. III, p. I, p. 279.

(5) Exstat hæc collectio in codice vaticano arabico CLIII, descripto in opere, cui titulus: Scriptorum veterum nova Collectio e vaticanis codicibus edita ab Angelo Maio, bibl. vat. præfecto, tom. IV, Romæ 1831, pag. 286-291. Olim, cod. arab. vat. 36, apud Assem. Bibl. orient., tom. II, pag. 307.

(6) Sobensis Episcopus Ebed-Jesu in suam canonum epitomen inseruit tractatum de hæreditatibus, quem Elias juxta alterius Eliæ patriarchæ opus composuit. Vide de hac re ea quæ habet Assemanus in Bibl. orient. tom. III, p. I, p. 269, et 270, e quibus intelliges quid apud Nestorianos pro Juris scientia factum sit.

(7) Ebed-Jesus ex iisdem ferè fontibus, ex quibus Ben-Attibus suam collectionem adorna-

Inter jacobitas syros, Gregorius Bar-Hebræus, qui et Abulpharagius, scriptorum jacobitarum facilè princeps et primas Orientis (claruit ab anno 1264 ad 1296), *Librum directionum*, seu *epitomen canonum* conscripsit, quæ duas partes complectitur. Prima est de rebus ecclesiasticis; altera de causis ad laicos spectantibus. Opus integrum constat capitibus quadraginta, quæ in sectiones aliquot subdividuntur. Continet autem testimonia ex canonibus apostolorum, ex didascalia seu constitutionibus eorumdem, ex conciliorum canonibus (1), ex patribus et syrorum Patriarcharum et Episcoporum constitutionibus, ex legibus christianorum imperatorum, quos ex Juris justiniani epitome, ex Novellis et basilicarum libris hausit (2).

In Ægypto non minus quam in Syria jacobitæ (3), qui coptitæ nominantur et alexandrino Patriarchæ subsunt, canonum collectores diversasque eorumdem collectiones habuerunt. Pertinet huc Abu-Isaaci, Ben-Assali, circa medium decimum tertium Christi sæculum clari, collectio sacerorum canonum, in duas summas distributa; opus magni apud Orientales pretii, nondum tamen latine redditum, nec typis vulgatum (4). Macarius quoque presbyter et monachus scotensis nomocanonem Ecclesiæ alexandrinæ coptitarum in duos tomos distributum collegit (c. a. 1372), qui exstat in codice manuscripto Biblioth. vaticanæ (5). Æthyopes,

verat, testimonia desumpsit, quæ in locos communes distribuit. Assemanius, in Bibl. orient., t. III, p. I, p. 232-252, annotat quæ hujus collectionis indolem patefaciunt. Bina exemplaria exstant in Bibliotheca vaticana; alterum, cod. syr. vat. (apud Assem. l. c. t. II, p. 497, XIV; apud A. Maium, l. c. t. V, p. 38, CCCLIV) alterum integrum (cod. syr. vat. apud Assem. IV, apud Maium CXXIX) exaratum a. Ch. 1332. Exstat in Collegio Urbano de propaganda fide in Musæo borgiano-sobensis collectio ex syriaca lingua latine reddita, interprete Jos. Aloysio Assemanio mspt. II, t. 4.

(1) Habet Bar-Hebræus canones nicænos, constantinopolitanos, ephesinos, chalcedonenses, neocæsarienses, ancyranos, laodiceos, antiochenos et gangrenses.

(2) Ex Græcis laudat Dionysium areopagitam, Dionysium alexandrinum, Eustachium, Origenem, Athanasium, Basilium, Thimotheum alexandrinum, Basilium et Severum antiochenum ac plures syros Episcopos et patriarchas. Titulorum seu capitum hujus collectionis seriem exhibet Assem., l. c. tom. II, p. 300, atque ipsius versio in linguam latinam, a Jos. Aloysio Assemanio adornata et quatuor voluminibus manuscriptis comprehensa, asservatur in Collegio Urbani, de prop. fide bibl. Exstant in Biblioth. vaticana plures codices a Josepho Simonio Assemanio, qui omnium primus synodorum et canonum orientalium versionem atque editionem aggredi voluit, ex variis codicibus descripti: scilicet synodicon orientale nestorianorum et jacobitarum syriace cod. CCCLIV (apud Maium, l. c. tom. V, pag. 57). Synodicon jacobitarum et coptitarum arabice, cod. DCXXXIV. Synodicon Chaldæorum sive nestorianorum, cod. arab. DCXXXV (apud eumd. Maium, l. c. t. IV, p. 471-573).

(3) De Coptitis, seu Coptis vel Cophtis legis ea quæ habentur in Jos. Sim. Assemanii dissertatione cui titulus: Della Nazione dei Copti, etc. exstat ad calcem, t. V, collect. vet. script. ab Ang. Maio, ed. Romæ 1831.

(4) In præfatione auctor codices adnotat, e quibus collectionem suam adornavit: vetus scilicet ac novum Testamentum, Didascalia seu Constitutiones apostolicas, aliaque scripta, quæ beato Clementi romano tribuuntur, canones apostolorum, synodos ancyranam, neocæsariensem, gangrensem, antiochenam, nicænam, constantinopolitanam, ephesinam, laodiceam, sardicensem; Canones Hippolyti, quem Papam Romæ vocat, et Basilii magni; Statuta imperatorum; Epistolas canonicas Gregorii Thaumaturgi; Canones Epiphaniæ Patriarchæ constantinopolitani, Joannis Chrysostomi, Gregorii nycæni, Athanasii alexandrini, Michaelis Episcopi Damiatæ; Constitutiones Patriarcharum alexandrinorum, Coptitarum Christoduli, Timothei, Cyrilli Lalaki et Gabrielis; synodos Ecclesiæ africanæ. Vide hujus collectionis descriptionem apud A. Maium, in op. cit. tom. IV, pag. 283.

(5) Hæc collectio exstat in Cod. arab. vaticanis CXLIX et CL, olim II, III, inter codices arab. ex Ægypto in vat. Bibliothecam a Jos. Sim. Assemanio inlatos (Bibl. orient., tom. I,

eodem alexandrino coptitarum Patriarchæ subjecti, antiquam quamdam canonum collectionem habeant, lingua æthyopica conscriptam, in qua eadem ferè continentur quæ in græcis collectionibus antè concilium chalcedonense habebantur, et ex illis in aliorum etiam Orientalium collectiones transierunt (1).

Nullum dubium est Armenos etiam suas canonum collectiones easque parum ab aliorum Orientalium collectionibus discrepantes habuisse; at nulla hucusque accuratior de ipsis notitia evulgata est. Cæteris Orientis christianis, qui veram fidem et Ecclesiæ catholicæ unitatem sectantur, suæ quoque canonum collectiones non deerant, in quibus tum provincialium, tum œcumenicarum synodorum canones ex græco sermone in syriacum aut arabicum translati, continebantur (2).

XXXV. In Ecclesia ruthena simul cum aliis Ecclesiæ græcæ institutionibus verosimiliter etiam Photii collectio, et quidem in græca qua conscripta erat lingua recepta est, cum per aliquod tempus Episcopi semper ex græcis sumerentur. Principes quoque plures ac pro Ecclesia magni monumenti constitutiones edidere, quæ tamen in primæva sua forma conservatæ non sunt (3). Incertum omninò est, an primis temporibus canonum collectiones in slavonicam linguam versæ fuerint. Anno verò 1274, Cyrillus Kioviensis metropolita in concilio Wladimiri celebrato versionem Zonaræ evulgavit, quam (a. 1270) a Suiatislao Bulgarorum principe obtinuerat. Ex eo tempore plures occurrunt leges Ecclesiasticæ in slavonica lingua conscriptæ, quæ in pluribus inveniuntur codicibus, quorum tamen duplex classis distinguenda est. Aliqui enim codices textum ac ordinem Zonaræ sequuntur, et scholia præcipuè ex Aristeno, hinc indè eum Zonaræ interpretationibus permixta, exhibent. Alii pro maxima parte ex synopsi, quæ Aristeno tribuitur ipsiusque scholiis constant; interdum verò canones integros cum scholiis Zonaræ habent. Nulla proindè ex hisce collectionibus aut Zonaræ, aut Aristeni collectionem integram exhibet; nec sanè constat qua ratione in illis permixtæ fuerint (4).

XXXVI. In diversis Occidentis regionibus eæ canonum collectiones retinebantur, quæ in unaquaque usu comprobatæ erant; sæpiùs tamen finitimarum etiam regionum codices recipiebantur, quod præcipuè cum falsis decretalibus factum fuisse, ex codicibus manuscriptis apparet. His collectionibus canones conciliorum provincialium, quæ in Italia, Gallia, Germania et Anglia celebrantur, annexi sunt.

pag. 619). Vid. Ang. Maium in opere citato, tom. IV, pag. 275-283, ubi hi codices fusè descripti sunt.

(1) Describit hujus collectionis codicem Job. Ludolfus in commentario ad suam historiam æthyopicam, num. XXX, p. 201 et sequentibus, ed. Francof. ad M. Codex ipse exstat in Biblioth. vaticana necnon aliud exemplar in Collegii Urb. de Propaganda fide Musæo borgiano. Continet inter cætera præter apostolorum canones apud græcos et latinos notos, etiam canones illos quos arabicos vocant.

(2) Hujusmodi collectio contineri videtur in codice CLIV, arab. vaticano (apud Maium, l. c. t. IV, p. 291), qui ad XIII Christ. sæculum videtur referendus. Continet canones conciliorum œcumenicorum nicæni primi, ephesini primi, chalcedonensis, constantinopolitani II et III, nicæni II.

(3) Habetur quidem Wladimiri nomocanon (a. 993) et Jaroslavii constitutio de judiciis ecclesiasticis (a. 1051) earumque legum innovatio a Basilio Demetriade (Demetrii ewitsch a. 1403). Hæc verò monumenta ex antiquis historiis et juxta vigentes tunc temporis institutiones conficta sunt, atque idem de ipsis ac de falsis Isidori decretalibus, judicium ferendum est. Plura de his legibus invenies apud Biener: de Collect. can. Eccl. græc., p. 30-52, et apud Ph. Stöhr, in Historia Ecclesiæ ruthenæ (Hallæ 1827, germanice edita), p. 6, 10, 21.

(4) Plura vide apud Biener, de Collect. canon. Eccl. græc., p. 53-58.

Pontifices quoque romani ad particulares Episcopos decretales litteras scripserunt atque tum in conciliis particularibus Romæ habitis, tum in conciliis œcumenicis, quorum tria hac temporis periodo celebrata sunt, lateranense scilicet I, a. 1123, II, 1139, et III, a. 1179, canones ediderunt, qui maximam auctoritatem nacti sunt.

Civiles de rebus ecclesiasticis leges in Germania, Gallia et Italia penitus ferè cessarunt, aut saltem externum solummodo Ecclesiæ cum republica nexum respiciebant. Hujusmodi sunt constitutiones Gttonis I (1) et Henrici II (2) de possessionibus Ecclesiæ romanæ, de pontificæ electionis libertate, maximè verò pactum Calixtum II, inter ac Henricum V initum, quo diuturna de Episcoporum investitura controversia composita fuit (3).

XXXVII. Juris canonici scripti materies in collectione hadriana, in genuina ac falsa hispanica, in panum scriptis, in libris capitularium atque in usitatis tunc temporis Juris romani fontibus in eum modum descripta ac sparsa erat, ut nova ipsius accerto ordine digesta compilatio ab omnibus tanquam necessaria expeteretur. Hiæc plures diversis modis in certum ordinem redactæ collectiones adornari cœperunt, quibus et novæ, quæ interim editæ fuerant, leges insertæ sunt. Nec ad illas tantum regiones, ubi conficiebantur, earum usus pertinuit; quippè quæ ob aptam, quàm præ se ferebant, dispositionem in dissitis quoque provinciis adhiberi solerent; quo factum est ut scientiæ ope ac fori usu, ea quæ toti Ecclesiæ communia fuerunt, magis ac magis evolverentur, quodque in una regione experientia comprobatum fuerat, in aliis quoque divulgaretur. Præcipuas ex istis collectionibus (4), quarum tamen plurimæ, nondum typis editæ sunt, hic annotabimus:

1. Inedita quædam collectio, XII partibus constans, quæ archipræsuli Anselmo adscribitur, quæque annum 883 inter et 897, uti videtur, ex collectione hadriana, ex qua versionem quoque græcorum canonum arripuit, ex falsa Isidori collectione, ex regestis Gregorii I, ac denique ex Justiniani compilationibus desumpta materia, confecta est.

2. Collectio Reginonis prumiensis abbatis (a. 915) ad instruendos Episcopos de iis ad quæ in visitanda diœcesi attendere maximè debeant, adornata et in duos libros divisa est, quorum primus cleri, alter laicorum disciplinam complectitur. Ad singula quæque capita leges ecclesiasticæ ea respicientes citantur, quas Regino ex Halitgari et Rabani Mauri libris, necnon ex ea collectione excerpserat, quæ Eberto Archiepiscopo tribuitur et nondum typis edita est. Græcos verò canones tum ex Dionysii, tum ex hispanica versione affert, uti eos in illis collectionibus invenerat. Aliqua denique loca tum ex patribus atque falsis decretalibus, tum ex breviarii interpretatione, ex capitularibus et Ripuariorum ac Burgundiorum legibus adjunxit (5).

(1) Apud Goldast. in Collect. constitut. imperial. edii. alt., tom. II, p. 44-46: Fragmentum stius constitutionis refert Gratianus, in c. 32, D. LXIII.

(2) Apud Goldast. in Collect. constitut. imperialium, t. I, p. 227-29.

(3) Hujusce pacti instrumenta in comitiis regni Wormatiæ habitis tradita inveniuntur in Goldasti Collect. constit. imperial., t. IV, p. 55.

(4) Accuratissimè ac copiosè de his collectionibus, quatenus hucusque innotuere, disserunt Ballerini in opere de antiq. Collect. canon., part. IV, cap. X, XVIII., et Savigny, in opere: Geschichte des Roemischen Rechts im Mittelalter (Juris romani mediæ ævi historia), tom. II, p. 273-94, IV, p. 472-76.

(5) Primus hanc collectionem edidit Joach. Hildebrand, Helmstadii 1659. 4. Dein sub titu-

3. Inedita collectio in IV partes divisa et ante sæculum XI compilata, in qua multa ex falsis decretalibus habentur (1).

4. Collectio *abbonis*, abbatis floriacensis (a. 1005), quæ LII capitibus conciliorum, decretalium, capitularium, breviarii et Juliani loca auctoris sententiis in unum conjuncta continet (2).

5. Collectio *Burchardi, Episcopi wormatiensis* (a. 1025) (3). In præfatione ipse fontes nominat, ex quibus hausit, canonum scilicet collectionem, quæ verosimiliter falsa illa hispanica est; canones apostolorum, transmarina, germanica, gallica ac hispanica concilia; Pontificum decretales; novum et vetus Testamentum, scripta apostolorum, patres plures et libros pœnitentiales (4). Canones græcos, paucis locis exceptis, juxta Dionysii versionem citat, qua de causa aut hadrianam, aut aliam ex Dionysio excerptam collectionem adhibuisse videtur. Plura insuper, et ea præsertim quæ Regino ex capitularibus et Rhabano hauserat, ex ipsius collectione desumpsit; ut tamen majorem illis adderet auctoritatem, Burchardus nomina alicujus concilii, aut Pontificis susperscripsit, quæ falsa nomina in alias dein, ex Burchardo desumptas collectiones, transierunt.

6. Inedita quædam collectio XIII libris comprehensa, quæ Anselmo lucensi (a. 1086) adscribitur, et qua ob uberem, quam continet materiam, posteriores collectores crebro usi sunt (5).

7. Inedita cardinalis Deusdedit collectio in IV libris circa finem sæculi XI, ex anterioribus, maximè, uti videtur ex falsa hispanica collectione confecta, quibus tamen plura, eaque majoris momenti, ex archivio rom. Ecclesia addita sunt (6).

8. Inedita Bonizonis Episcopi sutrini collectio in X libris post annum 1089 confecta (7).

9. Duæ aliæ ineditæ collectiones versus finem XI sæculi ortæ, quarum prima in IV, altera in XV libros divisa est, quæque juxta codices, in quibus primo reperiuntur, collectiones tarraconensis et saragossana nominantur.

10. Ejusdem temporis inedita alia collectio hoc habet singulare, quod juxta fontes, et non juxta materias disposita sit. Prima siquidem pars continet decreta-

lo: Reginonis abb. Prumiensis libri duo de ecclesiastica disciplina, ed. St. Baluz. Parisiis, 1671. 8. Eadem editio habetur in Hontheimii histor. trevir., prodrom., p. 350, et in Hartzheimii, conc. germ. t. II. p. 438.

(1) Singulorum capitum argumenta, necnon fontes, ex quibus desumpta sunt, dedit Sartius in opere de claris archigymnasii bononiensis professoribus, tom. I. p. II. p. 189-91.

(2) Edita est hæc collectio apud Mabillon. Vetera analecta (edit. II; Paris 1723. fol.) p. 133-48.

(3) Burchardi wormatiensis, Ecclesiæ Episcopi decretorum libr. XX, ex conciliis et orthodoxorum patrum decretis, tum etiam diversarum nationum synodis, ceu loci communes congesti, in quibus totum ecclesiasticum munus luculenta brevitate, et veteres ecclesiarum observationes complectitur. Opus nunc primum excusum, omnibus ecclesiasticis et parochis apprime necessarium, Coloniae MDXLVIII, fol. min.

(4) Præfationem primitivam exhibent Ballerini de antiq. canon. collect. part. IV, cap. XII.

(5) Accuratiorem hujusce collectionis descriptionem, necnon quædam excerpta dedit Sartius in opere de clar. archigymn. bonon. profess. tom. I, p. II, p. 191-94., Recenter de ipsa disseritur in opere, cui titulus: Anselmi epistola nunc primum vulgata, acc. in decretum ms. Anselmi animadversiones Mich. Aug. Monsacratii, Lucæ 1820. 8.

(6) Ad ea quæ de hac collectione habent Ballerini, adjungenda sunt quæ refert Zaccaria de duab. antiq. canon. collect. Dissert.-Italic. 4. part. II, tom. II, p. 174; edit. Roma.

(7) Agit de hac coll. Camus notic. et extr. des manusc. de la biblioth. nation. tom. VII, p. II, p. 74-83.

les veras et falsas, ordine temporum dispositas; altera conciliorum canones, tertia denique patrum Juris romani ac similium fontium loca certo ordine digesta.

11. Inedita sæculi XI aut XII collectio in duos libros divisa, quorum prioris caput primum hunc habet titulum: *De Ecclesie romanæ primatu*; in quo compilando falsæ quoque decretales adhibitæ sunt (1).

12. Ambæ Ivonis Episcopi carnotensis (a. 1115) collectiones, quarum minor, *panormia* dicta, octo (2), major sive *decretum* septendecim libris constat (3). *Panormia* prima decreti rudimenta continere videtur quæ postea ex aliis collectionibus aucta denuo digessit. In præfatione annotat ea loca quæ collegerat, quæque non ex ipsis fontibus, sed ex Reginone et Burchardo hauserat. Quare canones græcos passim ex Dionysii, rariùs ex hispanica versione affert (4). Decreto verò plura ex Jure romano adjunxit, quæ præcipuè ex collectione superiùs, num. 1, descripta desumpserat.

13. Inedita cujusdam presbyteri hispani, Gregorii nomine, collectio, quæ Polycarpus inscribitur. In VIII libros dividitur, et circa medium sæculum XII ex ignotis fontibus confecta videtur.

14. In plerisque hisce collectionibus maximè ea collecta sunt, quæ ad pœnitentiam pertinent. Cæterum plurimi alii quoque et proprii pœnitentiales libri confecti sunt, quorum unum Burchardus in XIX collectionis suæ librum recepit. Alii diversis locis editi sunt (5).

XXXVIII. Collectiones, quas hucusque descripsimus, alia subsecuta est, quam Gratianus (6), monasterii S. Felicis, quod tunc ordinis Camaldulensium erat (7), monachus, Bononiæ a. 1141 (8) adornavit. Hoc Gratiani opus non tam collectio, quam totius Juris canonici lucubratio nominandum est, in qua scientiæ ope omnia sacri Juris capita ita redegit, et ad usum disposuit, ut legibus, ad verbum adductis, comprobarentur, ipsarum legum sensus aperiretur, quæque ipsis in speciem contraria esse videantur, diluerentur. In tres verò partes dividitur (9), in

(1) Primum hoc caput separatim interdum descriptum invenitur, atque habetur excusum in Mansi conc. tom. I, col. 71-77.

(2) Liber decretorum sive panormia ed. Seb. Brandt. Basil. 1499. 4. Panormia seu decretum Ivonis carnotensis restitutum, correctum et emendatum, ed. Melch. a Vosmediano; Lovanii. 1557. 8. In Ivonis operum collectione panormia desideratur.

(3) Decretum Ivonis carnotensis septem ac decem tomis sive partibus constans. Cura ac studio Jo. Molinæi, Lovan; 1661. fol. Aliam editionem ex manuscripto alio emendatam curavit Joan. Fronto in operibus Ivonis; Paris. 1647. II, vol. fol. Sartius has editiones Decretum non in primitiva sua forma referre, illudque in quodam codice se invenisse asserit, cujus descriptionem in appendice se exhibiturum promittit. Fattorinius tamen ejus continuator illam non dedit. De claris archigymnasii Bonon. profess., tom. I, p. 249.

(4) Ex hoc falsitatis convincitur Ballerini opinio, qui Ivonem maximè ex falsa hispanica collectione hausisse asserunt.

(5) Indicem copiosum horum librorum atque operum, in quibus typis excusi sunt, dedit Salmon, *Traité de l'Étude des conciles* [Lips. 1726] pag. 693.

(6) Boehmerus I, II, dissert. de varia decreti Gratiani fortuna, Hallæ 1743 [in edit. corp. Juris can.]; P. I, de Riegger, diss. de decreto Gratiani, Vindob. 1760 8.; I. A. Riegger de Gratiano auctore decreti [in opusc. Frib. 1773, 8. not. X]; Sartius de cl. archigymn. bonon. prof. tom. I, p. I, 159-82, qui multa ex iis, quæ ante ipsum de Gratiano dicta fuerant, emendavit.

(7) Hoc dilucidè ac fusè probat Sartius, Gratianus camaldulensium regulam aut in alio, in quo prius commoraretur monasterio, aut Bononiæ professus est.

(8) Hæc temporis determinatio in anno fundatur, quem Gratianus formulæ, in c. 31. c. II. 9. 6. adductæ, addidit. Non negligenda tamen sunt quæ de hac re Sartius disputat.

(9) Boehmerus hanc divisionem ex ratione, qua tunc tempus studiis præfixum dividebatur,